



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XXXI. Parænesis ad exercitium contemplationis potissimum rerum
divinarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

vespere quidem ingressus cubiculum examina te ipsum, quid egeris: si quid malè, ingemisce, & lacryma. Facti diluculo examina quid nocte. S. Greg. 35. Moral. c. 17. Reproborum esse proprium solet semper prava agere, & nunquam qua egerint retractare, &c. Et: At contra electorum est, actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidum profuit, ab intus exsiccare.

VI. *A testimonio Ethnicorum. S. Anton. scribit de Pythagoræis Philosophis: Dicebant Pythagoræi, duorum temporum quam maximam habendam curam, mane & vesperi, id est, eorum qua acturi sumus, & eorum qua gesserimus.*

Consule etiam Senecam epist. 28. ad Lucilium, & lib. 3. de Ira, c. 36.

In EPILOGO hortaberis Auditores, ut, quod jubet Dominus, spirituales & probati sint trapezitzæ vel numularii: & sicut numularii quotidie recepti lucrum & detrimentum diligenter computant, ita ipsi quotidie in examine suos lapsus cogitando, loquendo, vel agendo commissos expectant, vel dici & errata, & rectè facta nocte commemorent, neq; prius obdormiscant, quam Deum sibi placatum propitiumq; reddiderunt.

XXXI. *PARÆNESIS AD EXERCITIUM contemplationis, potissimum rerum divinarum ac celestium.*

*S. Mor. 4. 32.
Vide Virid.
Virtutum
P. Bussum.*

EXORDIUM *duces à dicto S. Gregorii. Ad contemplandum Creatorem homo conditus fuit, ut ejus semper speciem quæreret, atque in soliditate illius amoris habitaret.*

In PROPOSIT. *dices, Te auditores, ut interdum cura terrenarum rerum abjecta, contemplationis studio se dedant, cohortaturum.*

CONFIRMATIO. I. LOCUS, *à Contemplationis præstantia & dignitate, quam satis insinua-*

vit Christus, cum Mariæ Magdalena: studium in *Luc. 10. 41.*
audiendis & expendendis divinis sermonibus,
anteposuit ministerio Marthæ sororis, licet ex
charitate profecto.

II. *Ab effectibus, vel fructibus*, quorum PRIMUS
est, quod eximia voluptate spirituali animum per-
fundat quietumque & tranquillum efficiat. Unde
contemplator quidam dicebat: *Quis dabit mihi pen-* *Psal. 54. v. 7.*
nas sicut columba, & volabo (per contemplationem)

Et requiescam. Quiete verò potitus exclamabat:
Quam magna multitudo dulcedinis tua, quam ab- *Psal. 30. 20.*
scondisti timentibus te? Et Apostolus Petrus, cum

in monte Thabor contemplatione transfigurati
Christi fructus esset, tanta voluptate exiit, ut
diceret ad Jesum: *Domine bonum est nos hic esse.* *Se-* *Matt. 18. 4.*

CUNDUS est, quod rerum terrenarum amorem
convertat in amorem cœlestium. TERTIUS, quod
eius beneficio brevissima nobis paretur via ad vi-
tæ spiritualis perfectionem. QUARTUS, quod mi-
rifice juvet ad mortificandas omnes animi & cor-
poris perturbationes, totumq; veterem hominem
renovandum.

In EPILOGO dices, Auditores ad fastigium &
perfectionem contemplationis posse pervenire, si
diligenter & orent, & vitas Sanctorum confide-
rent, exemplo S. Antonii, qui, ut ad perfectionem
vitæ contemplativæ brevi perveniret, adhuc ado-
lescens omnium Eremitarum, quos laude aliqua
virtutis præstare audierat, cellas obibat, & instar
apiculæ prudentissimæ variarum virtutum toscida
mella colligebat. Monebis tamen ipsos, ut, si do-
no contemplationis vacent, suo tempore se ad ex-
ternas actiones demittere, non negligant, uti S.
Antonius, multique alii Anachoretæ, licet toti
contemplatione essent absorpti, solitudinibus de-
sertis ad urbes confugerunt, ut Ecclesiam fluctu-
antem erigerent, & conservarent. *Vide speculum*
Cleric.

S. Athanas.
Ser. 107. 1.